

raverat. His de causis permotus Veneti exercitus imperator, ut rationem suorum consiliorum Patribus exponeret, militarique prudentia exercitum ab Mediolani oppugnatione abduxisse comprobaret, Aloysium Gonzagam Venetas misit; quem Collegium ingressum in hanc ferme sententiam loquutum férunt.

Nihil facilius est, optimi Patres, quam illorum, qui altissimo dignitatis gradu locati sunt, actiones, factaque carpere, & sugillare; ac præcipue earum rerum, in quibus plerumque fortuna plurimum potest; quo in genere tota fere ars militaris sita est. Nihil contra difficultius, quam optimis, tutisque consiliis res maximas ita gerere, ut absque jactura, periculisque quod mente concepimus assequi possimus. Quocirca inter præclaros bellis assuetos, victoriis illustres Duces, quos ad hæc usque tempora celebris, seculorumque omnium applausu probata perduxit fama, nonnullos accepimus, dum absque cœde, ac sanguine, astu militari vincere hostem assueverant, quandoque vulgi obtrectationibus, insciorumque hominum calumniis obnoxios fuisse; quorum voces per omnem vitam contemnere solitus Urbini Dux, qui scientiam rei militaris a primis adolescentiæ initiis ad hoc usque ætatis non ex vulgi inconstantia, imperitorumque hominum judiciis; sed rerum experimentis, acerrimis dimicationibus, oppidorum oppugnationibus egregie didicit, illius consilii rationem reddere, quo fœderatorum copias Mediolano discedere jussit, minime necessarium fore existimat; ac præsertim apud amplissimum Senatum, qui cum eum Imperatorem declarasset, quid de ipso sentiret, non obscuris argumentis patefecerat, aliisque quid de illo judicandum esset, præscripserat. Verum cum varias ex omni parte hominum voces exaudiri, judicia passim circumferri intelligeret, plerosque ex Senatoribus hac discessione imminutam auctoritatem, fractasque vires fœderis putare, quin me consiliorum, mentisque suæ aperiendæ causu ad vos mitteret, facere non potuit; & se, neque metu, quem in ipsum cadere vix opinandum est, neque alia causa ductum, quam belli recte administrandi rationes exigerent, discessisse; summorum Ducum, Imperitorumque vestigia, & disciplinam sequutum, qui certam absque sanguine, & cœde victoriam cruentis strage,

occisi-

1526
Aloysii Gō-
zagæ ab Vr-
binato Ve-
netias missæ
Oratio.